

placiter ab occidente in orientem moueri, sed tantum secundum quid, nempe ad signa orientalia, ut iam exposuimus. Simpliciter autē moueri dicuntur ab oriente in occidentem, quoniam nullum datur instans temporis, in quo non magis recedant ab oriente, & occidenti appropinquent, propter motū illum rapidissimū primi mobilis, a quo rapiuntur. Quod si a primo mobili non raperentur, tunc simpliciter ab occidente in orientem mouerentur, quia nullum daretur instans, in quo non magis ab occidente discederent, & ad orientem accederent. Itē, si proprijs motibus velocius mouerentur ab occidente in orientem, quam ad motū primi mobilis ab oriente in occidentem, simpliciter utiq; ferrentur ab occidente in orientem, & secundū quid tantum ab oriente in occidentem, ob rationem iam dictam, quia nimirum hac ratione semper magis, magisq; ab occidente remouerentur, & ad orientem accederent.

HAEC AVTEM omnia fieri posse, hoc vno exemplo perdisces. Moueatur nauis aliqua ab oriente in occidentem maxima cum celeritate; Nauclerus autem eodem tempore tardo admodum gradu perambulet nauim a proa in puppim. Quo posito, nome vides, Nauclerū simpliciter quidem moueri ab oriente in occidentē, eo quod ad motum nauis celerius multo, quam proprio motu in contrariā partem moueatur, & ob id semper magis ab oriente recedat, occidenti vero appropinquet & simul tamen secundum quid moueri ad orientem, id est, ad partes orientales nauis, non autem simpliciter? Nome etiam vides, si nauis immota maneret, Nauclerū simpliciter tunc moueri ab occidente in orientem, cum semper magis ad orientem accederet, & ab occidente recederet? Nome deniq; idem contingere conspicias, si nauclerus citatiori motu incederet, quam nauis? Ita igitur intelligendum est, cælos inferiores moueri sub Zodiaco primi mobilis ab occidēte in orientē. Clarius aut fortasse res percipietur in formica, quæ lento gradu contra motū velocissimum alicuius rotæ, quæ ab oriente in occidentem mouetur, incedit. Idem intelligi potest in spherula aliqua vitrea lucente. Si enim impleatur aqua, quam versus te sic agites, ut aqua paulatim aduersus te moueatur; Deinde vitrea illa spherula in oppositam partem circumuoluetur; Mox conspicias aquam in vitro contentam ad motū spherulae pariter moueri, pariterq; contranitendo aduersus te moueri. Per spherulam igitur illam vitream lucentem primum mobile, & per aquam in ea contentam inferiores spheræ primo mobili contranitentes animo